



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Evsebii Nierembergii Vita Divina, Sev Via  
Regia Ad Perfectionem**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Monasterii Westphaliae, 1642**

Capvt XXX. De Dei-formitate & Vita Divina, quam Animæ aliquæ sanctæ  
participant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46790)

## CAPVT XXX.

De DEI-formitate & Vitâ Divinâ,  
quam Anima aliqua Sancta partici-  
pant.

**E**X uni-formitate ista, & cum divina vo-  
luntate summâ, quam dixi, consensio-  
ne DEI-formitas nascitur Vitâque Divina.  
Sacrosancta namque & adoranda Majestas  
illa, quæ cælum terrâque implet, iis qui  
puritatem hanc perfectionemque consecu-  
ti sunt, nomen suum communicare digna-  
ta est, apud Davidem dicendo: *Ego dixi, Dii  
estis, & filii Excelsi omnes*<sup>a</sup>. cui consonans in  
Evangelio suo Magister noster IESVS, ad Pa-  
trem conversus, *Rogo, ait, ut omnes unum sint,  
sicut tu Pater in me, & ego in te, ut et ipsi in nobis  
unum sint*<sup>b</sup>. Arcto adeò nexu cupiebat nos  
bonus IESVS cum DEO colligari & uniri,  
ut unum potiùs videremur quàm uniti. Ad  
honorem istum amplissimum ascendit ani-  
ma, quando propriam voluntatem jam fre-  
git, penitusque conculcavit & contrivit, at-  
que

<sup>a</sup> Ps. 81, v. 6. <sup>b</sup> Ioan. 17, v. 21.

que illam in rebus omnibus, quantum hu-  
 jus vitæ status admittit, ad divinam confor-  
 mavit: quando deinde eadem voluntate suâ  
 annihilatâ, & in profundissimam nihili sui  
 abyssum altissimè demersâ, supra se-ipsam  
 se attollit, modòque admirabili in DEVM  
 Dominum nostrum quodammodo trans-  
 mutata, res omnes vult, non tamquam si i-  
 ipsa eas vellet, sed DEVS in ipsâ; talem se  
 exhibendo, atquè si voluntate creatâ exuta,  
 solam haberet voluntatem divinam, quâ a-  
 nimata viveret operareturque omnia; &  
 quasi non unionem dumtaxat cum illâ ob-  
 tineret, sed unitatem, habendo volunta-  
 tem aliquam, similiter ac si (ut sic loqui li-  
 ceat) non haberet. nam quas res vult, eas  
 nō vult, ut volunt homines, verùm perinde  
 ac si solus in ipsâ eas vellet DEVS; cui volun-  
 tatem olim suam libertatēque omnem,  
 in reliquam vitam, sponte suâ, omni ex par-  
 te consecravit, seque in mancipium perpe-  
 tuum tradidit, multò magis, quàm S. Pauli-  
 nus, cū liber esset, lubens volens hominē  
 barbaro captivum se dedidit. c. denique

Qs haud

c. S. Greg. Dialog. lib. 3, cap. 10.

haud aliter, quàm si omni omnino voluntate destituta esset.

Admiranda isthac transformatio tum peragitur, quando anima res ad DEVM ejusque honorem & gloriam pertinentes ita intuetur, ac si ipse DEVS essent, easdem non tamquam res alterius, sed uti sibi maximè proprias considerando: contrà verò res suas aspiciendo, non ut alienas modò, sed quasi ad neminem in toto mundo pertinerent. ita ut quidquid ad ipsam quoquo modo spectare potest, uti ipsius honor, commoditas, corporalis spiritualisque oblectatio, non magis revera quærat, quàm si nata nunquam, aut ad nihilum redacta fuisset; ad solum semper DEVM attendendo, ipsius amore tota occupata, jam nunc faciendo, quod per omnem æternitatem, in Angelorum Beatorumque Cælitum, quorum hoc erit studium unicum, societate est continuatura. Adjuvet nos, per obedientissimi Filii sui Sanguinem clementissimus DEVS, ut illum in modum faciamus, divinamque voluntatem compleamus in terrâ, sicut in cælo impletur. Amen.